



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Sexta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

- VERS. 9. Auarus non implebitur pecuniâ: ^a & ^aHebraea se
qui amat diuitias, fructum non capiet ex ^{sonans: &}
eis: & hoc ergo vanitas. ^{qui amat}
^{copiam seu}
^{multitudi-}
^{nem, est si-}
^{ne fructu.}
10. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt
eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cer-
nit diuitias oculis suis?

METRICA PARAPHRASIS.

Si quidquid auri fulua Pactoli vada
Flauoque manans alueo voluit Tagus,
Diues capaci ventris exhaustum sinu
Venisque condant; non minor tamen sitis
Fauces auari cruciet. Vt bibat bibit
Malè sanus hydrops: nulla discenta cuti
Sat plena amyctis; nec tamen tacitam luem
Datur fateri, aut nosse quo pereat malo:
Sed ut Amphitrite nescia ondanti sinu
Fœnus recepat amnium, hinc Istrum bibens
Rapidumque Gangen, inde septeno impete
Nilum influentem, par tamen semper meat
Sibi que similis; sic per ingestas opes
Numquam cupido statuit optatis modum.
Fortuna pleno copie cornu influat;
Mensura voti copie cornu hauriet,
Rictumque porro ducet in fœnus nouum.
Quis inde fructus diuites nimis beat
Egentiores opibus? Infelix amor

Oo

Fului

Fului metalli quotquot inbiantes capit,
 Servire herili cogit indecores ingo.
 Non possidet, sed possidetur, sordidum
 Quicumque fuluo pectus immerfit luto.
 Et esse in orbe vanius quidquam potest?
 I nunc metalla, virginis terra fibras,
 Pretiosa damna congere, & gazas Mida,
 Siculasque messes: adde quas cupidus opes
 Pregnante ruris area verrit Lybis,
 Aut quas profundo submouet Tethys sinu:
 Operosiores nempe diuitias vorant
 Opera frequentes. Multa famulorum manus,
 Multa abligurit liminis tritor cliens:
 Multa peregrini nauta sulcator freti.
 Nec minus agrestes vernula, & consors tori,
 Et liberorum, victima luxus, greges.
 Quid ille verò, cuius immensas opes
 Arca flagellant, cuius illusa trabes
 Laquearque certat facibus ardentis poli.
 Numquam repleti ventris, & numquam satur
 Inhiat futuris; vnicam vita aestimans
 Beatitatem, fertilis glebae solum,
 Gregesque opimos cernere, & foeta horrea
 Dissenta messe, & orbe ab occiduo rates,
 Auri que fulua luce geminatum diem.
 O si hunc beatum vota Meonij Ducis
 Cumulent! vt auri, quidquid attigerit manus,
 Ducat nitorem! Gaudeat tactu aureos
 Surgere penates, auream messem, aureos
 Ridere montes: donec impleto aurea
 Amœnitatis, at requirenti cibos
 Rigeant metallo structa in opprobrium dapes,

*Fuluamque vinctus cœat in glaciem latex.
 Ut stulta damnans vota palinodius canat:
 Salve supellex tuta pauperies mihi,
 Alios dolosa compe de illaqueent opes.*

PROSA EXEGESIS.

POST Atheorum & Politicorum deliramenta firmis rationibus explosa, proximam his vanitatem subiicit, avaritiæ (quam idolorum cultum vocat Apostolus) variisque eam documentis explicat. Ac inprimis inexplebilem eius voraginem in crimen vocat, cui nullus unquam hiatus terræ par fuit, quamuis integeras nonnumquam vrbes deglutiuerit: siquidem avari cupiditas ne regnis quidem ac prouinciis impletur. Nec Charybdis unquam tam vorax fuit, crebris licet naufragiis infamis. Quid dico Charybdin? Oceanus profectò cum hoc barathro in contentionem voracitatis venire nullâ ratione potest. Tametsi enim tot annuum fluminumque accessionibus non intumescat, sed nouis semper aquarum lucris inhiet; seruat tamen, ait S. Basilius, præscriptos sibi ab origine terminos: at avarus nullum cupiditati suæ terminum præfigit, imò ne totius quidem orbis limitibus eam circumscribit; siquidem

Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis.

Inexplebilem hunc esse morbum, atque anigmati similem, ait Isidorus Pelusiota. Nam in febribus quidem ardor aquis medicis temperatur, potu sitis extinguitur: acquirendi desiderium nullo unquam diuitiarum incremento sistitur. Congeratur in te, inquit Seneca, quidquid multi locupletes possederunt; ultra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouocat, auro

Inuenal.
Sat. 10.

Isidor. Pelusiota. li. 3.
Epist. 412.

Seneca Epist. 16.

tegat, purpurâ vestiât, & eò deliciarum opumq̄ue perducât, vt terram marmoribus abscondas; vt non tantum habere tibi liceat, sed etiam calcare diuitias: accedant statuae & picturae, & quidquid ars vlla luxuria laborauit; maiora cupere ab his disces.

*Chr tam
insatiabilis
auaritia.
Seneca
ibid.*

Sed vnde hæc morum contagio? vnde hæc tam illimitata cupiditas? Rationem subiicit idem Seneca, quia scilicet non impulsu naturæ, sed cæco opinionis errore ducimur. Si ad naturam viues, inquit Epicurus, numquam eris pauper; si ad opinionem, numquam diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt; ex falsâ opinione nascentia vbi desinant non habent. nullus enim terminus falso est. Viâ eunti, aliquid extremum est, error immensus est. Deinde quemadmodum nullus humor sufficit ad satiandum eum cuius bibendi desiderium non ex humoris defectu, sed ex æstu ardentium viscerum oritur (non enim sitis illa, sed morbus est) sic in omni desiderio, quod non ex inopiâ, sed ex vitio nascitur, quidquid illi congesseris, non finis cupiditatis est, sed gradus. Paterant M. Crasso homini priuato bis millies HS. siue quinque auri milliones, opes satis amplæ videri: sed ille, vt se pauperem probaret, dixit, neminem sibi diuitem videri, nisi suis fructibus exercitum, id est sex legiones, & magna equitum peditumq̄ue auxilia sustentare possit. Merito igitur insatiabilis eius cupiditas, dum paulò post Consul Parthico inhiat auro, vndecim strage legionum, & ipsius capite multata est. Nam caput eius recisum, ad Regem reportatum, ludibrio fuit: dum aurum liquefactum in rictum oris eius infusum est, vt cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exsangue corpus auro vesceretur.

*Plin. li. 23.
c. 10.*

Cic. Parad.

*Florus li. 3.
c. 11.*

Quod

Quod huic avaro post mortem contigit, idem Midæ regi, dum viueret, accidisse fabulantur, vt nimirum auro pro dapibus in os ingesto, fame perierit. Cùm enim stultissimi sui voti compos esset effectus, Munus, inquit Fulgentius, in vltionem conuersum est, cœpitque sui voti effectu torqueri. Erat enim necessitas aurea, locuplesque penuria. nam & cibus & potus auri materia (vtor eius verbo) matmorabat. Inde Mida, inquit, quasi *μὴδ' ἴδων*, nihil sciens. Auarus enim vsque adeo stultus est, vt ne sibi quidem ipsi prodesse norit.

Fulgentius lib. 1. Mytholog.

Rectè igitur subiecit Ecclesiastes: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Quis enim potest esse diuitiarum fructus, si numquam inuenitur, quæ semper queritur, satietas? Adde quòd is, qui inordinato affectu diuitias complectitur, pro iis semper timet: nemo autem sollicito bono fruitur. Adicere illis aliquid studet: dumque de incremento cogitat, oblitus est vsûs: rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, fit ex domino procurator. Lucianus avarum perinde facere ait, ac si quis ingenuam liberorum procreandorum causâ dueat, nec ipse contingat florentem ætate decoramque virginem, nec alium sinat adspicere, sed inclusam, orbam, sterilemque in perpetuâ virginitate contineat, idque se nimio amore facere profiteatur, quem etiam exhausto corpore, oculis refugis, vultus pallore testetur. Mythologi avaros draconi illi comparant, qui dies noctesque peruigil aurea Hesperidum mala custodiebat, nullo suo fructu. Talis profectò fuit aulæ suæ custos Plautinus Euclio, cuius prodigiosas fordes ita Comicus exaggerat:

Avaro nullus diuitiarum fructus.

Seneca Epist. 4.

Lucian. in Timone.

Plautus in Aululariâ.

*Pumex non aequè aridus est, atque hic senex:
Quia diuitem atque hominum clamat quotidie fidem,*

O O 3

Suam

*Suam rem perisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si quæ exit foras.
Quin cum it dormitum, follem obstringit ob gulam,
Nequid animæ fortè amittat dormiens.*

*Aquam Hercle plorat, cum lauat, profundere,
Famem Hercle vtendam, si roges, numquam dabit.*

Anthologie
lib. 2.
Varia auarorum
fordes.

Stobæus
Serm. 10.

Sed hæc ad plausum potius quàm ex vero dicta sunt. Illud certè apud Græcos à variis affirmatur, extitisse Critonem quemdam adeò sordidum, vt stomacho laborans non pulegio, sed olfactu denarij morbum leuare sit conatus, ne fortè Medicis eum aut pharmacopolis dare cogeretur. Hermocratem etiam ferunt ex morbo decumbentem subduxisse rationes, quantum sibi in morbum ac Medicos esset erogandum, si conualesceret. cumque nimius illi sumptus videretur,

Nunc mihi mors votum, dixit, & obrigit.

Idem ibid.

Quid autem illo dementius, cum idem ille, ne quis alius saltem ex opibus suis fructum colligeret, seipsum testamento scripsit heredem. Sed omnium maximum auaritiæ prodigium extitisse scribitur Dinarchus Phidon, qui cum sibi laqueo vitam esset erepturus, quia sex chalcos funis constare dicebatur, abstinuit, & aliud vilis mortis genus quæsuit; tandemque moriturus lacrymatus est, non quòd moreretur, sed quòd minis quinque sarcophagus emendus esset. O nimis ex vero pronuntiatum, *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex illis. Et hoc ergo Vanitas.*

Copia diuitiarum fructum excludit.

Sed sensum nonnihil diuersum reddit Hebræa lectio, quæ sic habet: *Qui amat multitudinem, seu copiam, est sine fructu.* vt non tam diuitiæ, quàm earum copia seu multitudo fructum omnem excludat: quemadmodum in segetibus non rarò videmus vbertatem nimiam luxu-

luxurie suffocari, aut quemadmodum olim Tarpeia Capitolij custos, postquam auro patriam vendidisset, congestis in sinum eius Sabinorum torquibus & armillis, nimio auri pondere exanimata est. Ita profectò res habet in immodicis opibus. Quid enim iucundum esse potest sub tantâ negotiorum mole fatiscentibus? aut quis vitæ fructus inter tot curas, vigilias, metus, suspiria, dolores?

Aliam etiã causam assignat Ecclesiastes, quare diuitiarum copia minùs ad beatitatem conducit. *Vbi Multas opes multi desorant.* *Plutarch. in Parallelis.* *Multi sunt opes, inquit, multi & qui comedunt eas.* Quantum seruorum & colonorum numerum olim existimamus fuisse Romanis istis, qui sub singulis villicis latiores habebant fines, quàm quos Consules sortiebantur? qui latifundiis maria cingebant? quorum villici vltra Hadrianum, & Ionium & Ægæum regnabant? qui insulas, Ducum domicilia magnorum, inter vilissima numerabant? Vnum è mediâ plebe producã C. Cæcilium Claudium Isidorum, qui testamento suo edixit, quamuis multa bello ciuili perdidisset, relinquere se tamen seruorum quatuor millia centum & sedecim, iuga bouum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numeratò HS. sexcenties, id est decies quiniẽs centena millia Philippicorum. Quid Belisarius ille sub Iustiniano magnus? *Lipf. lib. 2. de Magnitud. Rom. cap. 15. Athenæus lib. 6.* nõnne duodecim millia puerorum habuisse propria narratur? Quid quòd Athenæus affirmatè scribit, Romanorum quosdam ad decem aut viginti millia seruorum habuisse, nec vt quæstum facerent ex eis, sed vt asseclas modò haberent? Quid tandem videtur? An non hæc velut locustarum quædam agmina, etiã Regiis opibus depascendis suffectura? Meritò igitur excla-

Seneca lib.
7. de Bene-
fic. c. 19.

Exiguus
fructus vi-
dere diui-
tias.

Seneca E-
pist. 95.

exclamat Seneca: O miseros! Si quos delectat sui pa-
trimonij liber magnus, & vasta spatia terrarum colen-
da per vinctos, & immensi greges pecorum per Prouin-
cias ac regna pascendi, & familia bellicosus nationibus
maior, & ædificia priuata magnarum vrbiū laxita-
tem vincentia. *Quid enim prodest possessori, ait Ecclesia-
stes, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* O quàm exigua
tot curarum ac sollicitudinum merces, videre quoti-
diana cupiditatum irritamenta, & in eorum adpectu
contabescere! Nónne extrema dementia est, ita diui-
tiarum splendore fascinari, vt iucundior sit auri quàm
Solis adpectus? Quid enim pulchrum habet aut ma-
gnificum (si mutuatum ab arte splendorem detraxeris)
lutea illa massa ab ipsis inferorum confiniis eruta? Cer-
tè multò tolerabilior est puerorum stultitia, qui splen-
didas è littore conchas, & lapillos pulchris coloribus
variegatos in pretio habent. Vis scire, inquit Seneca,
quàm falsus oculos tuos decipiat fulgor? Nihil est istis,
quamdiu merfa & inuoluta cœno suo iacent, fœdius,
nihil obscurius. quidni? quando per longissimorum cu-
niculorum tenebras extrahuntur, nihil illis dum fiunt,
& à fæce suâ separantur, informius. Denique ipsos opi-
fices intuere, per quorum manus sterile terræ genus &
informe perpurgatur, videbis quantâ fuligine oblinan-
tur. Atqui ista magis inquinant animos, quàm corpo-
ra; & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sor-
dium. Sed hoc fucato splendore prætermisso, videamus
potiùs, quàm exiguum momentum in diuitiis positum
sit ad veram quietem animiq̃ tranquillitatem.

SECTIO